



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

XV. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

DE EADEM RE.

Dialogus Decimusquintus.

A. ECQUIDNAM lucri ex Romanis pagellis fecistis? **C.** Sunt multa nobis grata, illud in primis, quòd invenimus caput quoddam falsò Eutyichiano adscriptum, non à Gratiano *a* solùm, sed à veteribus quoque, Burchardo *b*, Ivone *c*, & Anselmo *d*, & alio nobis ignoto Polycarpo *e*, rectè vindicatum Theodulpho Aurelianensi cap. xxvi. quod à te quoque fuerat animadversum *f*. **A.** Polycarpus non est scriptoris nomen, sed libri à Gregorio Presbytero collectore canonum conscripti. Estne aliqua varietas insignis? **C.** Post illa, *neque bibat*, addunt, *neque oret*, ex Theodulpho, Burchardo, & Ivone. (1) **B.** Alio capite *g* in verbis Ambrosij *h*, quorum pars est in Toletano Concilio *i*, pro illis, *quod & juratus inter saltantium choros promiserat*, scribunt, *quod eviratus inter & c.* ex Ambrosio & Ivone in excerptionibus *k*. namque in Panormia *l* *ejuratus* editum est. **A.** Consulite veterem Panormiæ librum. Facilis autem errandi occasio est. **C.** In veteri est *eviratus*, sed ita scriptum ut aliquis facilè non admonitus *ejuratus* legat. **A.** *eviratus* placet, quasi virum se esse oblitus. Sed quid in Concilio Toletano est, & apud Rabanum *m*, qui ejusdem Concilij & apud Rabanum *m*, qui ejusdem Concilij Toletani & Ambrosij verba refert? **B.** In utro-

a 22. q. 1. c. ult.
b Burch. lib. 12. c. 14.
c Ivo par. 12. c. 71. dec.
d Ansel. lib. 11. c. 65. vel. 71. in Rom.
e Polyc. lib. 6. tit. 11.
f Libro 1. dial. 13.

g 22. q. 4. c. 8. Unusquisque.
h Amb. lib. 3. c. 12. de officiis.
i Tolet. 8. c. 2.
k Ivo par. 12. c. 17. dec.
l Idem lib. 8. tit. 8. c. 16. Pan.

m Raban. c. 21. penitenti.

que libro hæc verba sunt omiffa. (2) Sed & Rabanum Romani non adfcripferunt, quod etiam facere debuerant in margine capitis quinti & noni ejuſdem quaſtionis. n (3) A. Fortaſſe imperfectè hæc pagina conſcripta funt. C. Ita eſt ut dicis. Namque alia invenimus mendofa aut omiffa. A. De his alio die agemus. Nunc ad Nicolaum revertamur. Caput ſecundum tituli ſeptimi, cujus initium *Quæ Lotharius*, apud Gratianum hanc habet inſcriptionem: *Nicolaus Papa Carolo Regi*, quod ante eum Ivo in epiftula LXII. ſive cxxvi. ad Hugonem Lugdunenſem ſcripſerat. Regem Francorum appellat Cochlaeus, Imperatorem Anſelmus, qui pleniùs verba Nicolai refert. Fons quaerendus eſt ex tuo veteri libro. B. Ludovico Regi inſcribitur epiftula cujus initium *Syllabarum veſtrarum*. In ea extrema Anſelmi & Ivonis & Gratiani verba inventa funt. In verbis varietas non eſt animadverſione digna. Rectè Contiùs notat verba Gratiani eſſe illa: *In manifeſtis &c.* (4) A. Quod ſequitur caput, *Scelus quod Lotharius*, ex alia epiftula ſumptum videtur, quæ miſſa eſſe dicitur *Archiepiſcopis & Epifcopis per Galliam, Italiam, & Germaniam conſtitutis*, apud Gratianum o, atque per univerſas provincias addit Ivo p. idemque eſt in libro Cæſarauſtano, q in quo tamen vox *Galliam* deſideratur. A te expecto ut fontem aperias. B. Fruſtra expectas. Nullum enim habeo quem poſſim oſtendere; niſi fortè ex Ivone conjectura ducamur; ut idem fit fons

n 22. q. 4. c.
5. In malis. &
c. 9. Incom-
mutabilis.

2. q. 1. c. 16.
Quæ Lotha-
rius.

Anſ. lib. 12.
c. 35.

o 2. q. 1. c.
ult.
p Ivo par. 8.
c. 226. decret.
q Cæſ. lib. 10.
c. ult.
11. q. 3. c. 10.
Teugual-
dum.

qui est alterius capituli, cuius initium *Teugwaldum*, quod est in extremo registro Romæ edito, & id fragmentum esse synodi Romæ existimabas. quod etiam selectis Romæ placuit. A. Non displicet conjectura. sed certiora expectemus. (5) De illo videamus cuius initium *Excellentissimus Rex Carolus*, quod ex epistula ad Hincmarum Remorum Archiepiscopum sumptum dicitur; licet in nomine sit varietas. de qua alio die dictum est. Apud Ivonem eadem est inscriptio quæ apud Gratianum. Quid tu habes dicere? B. In incertis esse collocandum. (6) A. Sequitur titulus octavus de Patriarchis & Archiepiscopis, cuius quattuor capita sunt. Quartum autem est illud de quo agebamus, cuius initium *Teugwaldum r*, ex epistula missa omnibus Episcopis Galliæ & Germaniæ apud Cochlæum. Id Ivonis *s* verbis confirmatur, licet Gratianus Nicolai tantum nomen adscripserit; nisi quid selecti viri addiderunt. B. Addunt: *in synodo Romana contra synodum Metensem capite secundo*. In extremo capite, illis verbis, *Predictis autem depositis*, hæc addunt: *Hæc non sunt in eo Concilio, sed ex aliqua epistula sunt quam non habemus. Videndus Regino libro secundo chronicorum*. A. Ivo eadem verba omisit. sed & in fragmento Romæ edito pro eis verbis alia sunt. De aliis nos capitibus videamus. Caput primum *t* ex epistula ad Joannem Ravennatem Archiepiscopum esse dicitur. Ad Nicolaum minorem pertinere in quodam Michaëlis Thoma-

11. q. 3. c. 102
Excellentiss.

Ivolib. 5. tit.
3. c. 26. Pan.
et par. 14. c.
46. decr.

r d. c. 102
Teugwaldum.
f Ivo d. c.
226.

t Dist. 63. c.
13. Episcopos.

sij libro inveni. B. In Pontificali de vitis Pontificum libro certius est Nicolaum primum in Concilio Romæ habito in domo Leoniana de causa hujus Joannis cognovisse, eique restituito dixisse *ut Episcopus per Æmiliam nisi post electionem de eis cleri & populi, atque per epistulas apostolicæ sedis Prasulis, non habeat consecrandi licentiam.* A. Hæc meliora sunt quàm quæ Gratianus refert. (7) Quid de altero capite dices, cujus initium *Hæc est ordinatio u*, ex epistula ad Salomonem Regem Britonum? B. Nihil habeo quod dicam. C. Contius addit Regem ultimum eum fuisse Britonum. (8) A. Caput tertium, cujus initium *Conquestus est x*, apud Ivonem y sæpe relatum invenio, tam in excerptionibus & in Panormia quàm in epistulis, ex epistula Nicolai ad Rodolphum five Radulfum Archiepiscopum Bituricensem, quem etiam Primatem Aquitaniarum vocat. Sic etiam inscriptum est, ut apud Gratianum, bis in libro Cæsaraugustano 2. B. Non exstat in his quos attuli libris. A. Ex eadem epistula fortasse est caput prius tituli noni de sacris ordinibus, cujus initium *Quæ in consecrationibus.* Habet enim similem inscriptionem apud Ivonem & Gratianum, nisi tibi aliud videatur. B. Non habeo quod tuis verbis addam. (9) A. Posterioris capitis, cujus initium *Simoniaci*, inscriptio apud Ivonem a est *In decretis Nicolai cap. 11.* apud Gratianum b *Nicolaus Papa secundus.* Utram tu inscriptionem veriolem putas? B. Nihil certi constitui potest. (10)

u 3. q. 6. c. 10.
 Hæc quippe.
 x 9. q. 3. c. 8.
 Conquestus.
 y Ivo lib. 4.
 tit. 4. c. 3.
 Panor. &
 par. 5. c. 56.
 decr. & in epistul. 77. vel
 133. Remensis
 diocesis Episcopis, & epistul. 234. vel
 238. Lugd.
 Primati, &
 ep. 54. vel 65.
 Hugoni Lugdun. Archiepiscopo, & epistul. 58.
 Urbano II.
 Pont. Max.
 2 Cas. lib. 2.
 c. 79. & lib.
 3. c. 51.
 Dist. 23. c. 12.
 Præterea.
 Ivo par. 6. c.
 121. decr.
 a Ivo lib. 3.
 tit. 9. c. ult.
 Panor.
 b 1. q. 1. c.
 107. Statuimus.

A. Titulus decimus de Episcopis octo habet capita, ex quibus tria eandem habent inscriptionem: *Nicolaus Alvino* vel potius *Alvino Archiepiscopo Januensi*. Primi cinitium, *Episcopi ab anni*, alterius *d Pontifices qui aliqua*, tertij *e Episcopos verò*. Hæc apud Ivo- nem *f* in excerptionibus ita inscribuntur: *Nicolaus Alvino Jovanensi Episcopo*. sed in margine: *Januensi*. Mihi quidem mendosum videtur *Januensi Archiepiscopo*. sed & *Con- tio Jovanensi* non displicet. Tibi optio per- mittitur, vel potius ut fontem ostendas ro- gandus es. B. Hac quoque in re mei adhuc fontes sitiunt. Januenses autem vel Genuates sub Nicolao Archiepiscopum non habuisse crediderim. De Jovanensi Episcopo quæren- dum censeo. C. Quid si Lovaniensem vel Viennensem scribamus? B. Incertum id quo- que est. (11) A. Est aliud caput cujus initium est *Episcopis dispensatio*. Id Gratianus Nico- lai Papæ tantum nomine inscripsit. Cochlæus & Demochares rectè Michaëli Imperatori adscripserunt. Est enim in extrema illa epi- stula cujus initium *Proposueramus*. (12) In tertio capite *Si quelibet*, cujus initium apud Gratianum est *Denique Suffredus*, nihil ad- dunt. Tuum auxilium implorandum est. B. Immo divinum. Humano enim destituti su- mus. (13) Idem dicturus sum de sexto capite *Sciscitaris*, quod ex epistula missa Hunifrido Morinensi Episcopo sumptum dicitur. A. Hæc igitur incerta relinquimus. C. *Humi- frido* pro *Hunifrido* est apud Democharem

c Dist. 34. c. 1.

d 7. q. 1. c. 4.

Pontifices

e d. c. 4. in

fin.

f Ivo par. 5.

c 352. & 353.

decret.

Dist. 43. c. ult.

6. q. 3. c. 3.

Denique.

7. q. 1. c. 47.

Sciscitaris.

366 LIBRI POSTERIORIS
& Contium. A. Cochlæi scriptura magis
placet. (14) Cetera in alium diem diffe-
ramus.

A D D I T I O N E S.

(1) **D**E inscriptione capitis extremi 22. q. 1.
scriptum est lib. 1. dial. 13 addit. 14.

(2) Ante caput octavum *Vnusquisq.* 22. q. 4. in
Romano libro inscriptio est: *Item Ambrosius de of-
ficiis lib. 3. c. 12.* Et in margine est: *In Tolet. 8. c. 2.*
Ivo p. 12. c. 17. Et vers. *sape pleriq.* additur: *Pann.*
l. 8. c. 101. Et ver. *Non semper: Infrà ead. Non sem-
per.* In Notis est: *Eviratus] Emendatum est ex beato*
Ambrosio & Ivone. Antea enim legebatur, & jura-
tus. Rabanus omissus est.

(3) In eadem quaestione 4. capitis 5. *In malis.* in
eodem libro hæc inscriptio est: *Item Isidorus in Syn-*
onimis libro secundo. In Notis additur: *Secundo]*
Etiam B. Braulius in vita Isidori memorat duos syno-
nimorum libros. Et in synonymis, qua nuper cum aliis
Isidori operibus sunt Parisiis impressa, facile locum ha-
beret divisio in duos libros. Nam ex posteriore parte vi-
detur sumptus libellus de norma vivendi, qui in eodem
Parisi no codice habetur. Alter autem libellus de con-
temptu mundi, qui & ibidem & antea Antuerpia &
olim Venetiis sub hoc titulo Isidorus de homine &
ratione descente & de homine & ratione consolante
impressus est, videtur epitome quadam synonymorum.
In margine hæc sunt: *Cap. de mendacio in impresso*
Parisiis. Ivo p. 12. c. 12. In Tolet. 8. c. 2. & in Tri-
bur. c. 21. & glossa ordinaria in c. 14. Matthai in vet.
juramentum. Capitis noni ejusdem quaestionis, cujus
initium *Incommutabilis*, hæc inscriptio est: *Item ex*
Concilio Toletano 8. c. 2. In Notis additur: *Initium*
hujus capituli emendatum est ex recentioribus editioni-
buz Conciliorum Colonensibus & codice Lucensi regio.
In vetustioribus autem editionibus & duobus codicibus
Vaticanis, duobusque monasterij Dominicani, post
vers. innectenda, quod in ipso Concilio antecedit huic

capitulo, sequitur continenter: Etenim immutabilis deitatis licet dicta sint firmissima, crebro tamen &c. intermediis omissis.] Rabanus omittitur.

(4) Caput 16. *Quæ Lotharius. 2. q. 1.* in eodem libro ita inscribitur: *Item Nicolaus Papa Ludovico Regi in epistola qua incipit Syllabarum.* In margine est: *Anf. l. 12. c. 35.* In Notis additur: *Sumptum est ex epistola qua habetur in codice sæpe memorato monasterij Dominicanorum, in qua hæc præcedunt: Accusatorem autem habere Lotharium non nisi illum qui accusator fratrum in Apocalypsi appellatur, & opera ejus, quæ & ipsa ejusdem antiqui hostis instinctu patrantur, profectò comperimus. Quæ verò Lotharius Rex &c.*

(5) Gratiani verba sunt ante caput extremum 2. q. 1. in eodem libro: *Vnde idem Nicolaus Papa scribit Archiepiscopis & Episcopis per Galliam, Italiam, & Germaniam constitutis. Scelus quod Lotharius &c.* In margine est: *Ivo p. 8. c. 226. Regino omnia hæc refert lib. 2. Chron. nu. 875. Capitis 10. Teugualdum. 11. q. 3. inscriptio est: Item Nicolaus Papa.* In margine additur: *In synodo Romana c. 2. Item: Al. Thietgandum. Ivo p. 8. c. 226. Et in Notis: Caput hoc Ivo citat ex Nicolao Episcopis & Archiepiscopis per Galliam, Italiam, Germaniam, atque per universas provincias constitutis; in qua epistola videtur retulisse quid in Concilio à se Roma habito de Metensi synodo penitus abolenda & depositione Thietgandi & Gunthariv statutum fuerit. De quo quidem Concilio & horum Episcoporum depositione Regino lib. 2. Chronicor. accuratè hæc scribit: Interea Thietgandus &c.] Consistere] In secundo capite Concilij locus hic ita habet: consistere: Diffinientes &c. Et sunt verba sumpta ex capite Si quis Episcopus damnatus. suprâ ead. ex Concilio Antiocheno.*

(6) Eadem quæstione capitis 102. *Excellentissimus.* in eodem libro inscriptio hæc est: *Vnde Nicolaus Papa Hincmaro Rhemorum Archiepiscopo.* Et in margine est: *Ivo p. 14. c. 46. Pann. l. 5. c. 106. Et ad verba novit aliud esse &c. additur: B. Greg. l. 34. mor. c. 16.*

(7) Distinctione 53. capitis 13. *Episcopos per Æmi-*

liam. inscriptio est in eodem libro : Item Nicolaus Papa Ioanni Ravennati Archiepiscopo. In Notis est : In vetusto codice Mutinensi sex Concilij Roma habiti referuntur capitula, quorum secundum est hoc. Et de hac eadem re habentur multa in Pontificali manuscripto in gestis Nicolai primi.

(8) Hæc est in eodem libro inscriptio capitis 10. Hæc quippe. 3. qu. 6. Vnde Ioannes Papa Salomoni tertio & ultimo Regi Britonum. In margine est : Regno lib. 2. Chron. In Notis : Subrogati post sunt] Sic restitutum est ex aliquot vetustis & valde emendatis codicibus. Antea legebatur subrogari possunt.

(9) Ante caput octavum Conquestus est. 9. qu. 3. hæc in eodem libro verba sunt : Item Nicolaus Papa Rodulpho Bituricensi Archiepiscopo. In margine est : Ivo p. 5. c. 56. Pann. l. 4. c. 29. Capitis 12. Præterea, distinctione 23. inscriptio est : De his ita scribit Nicolaus Papa Radulpho Archiepiscopo Bituricensi. In margine est : Ivo par. 6. cap. 121. Et vers. Ergo : Inno. PP. I. ep. 1.

(10) Inscripção capitis 107. Statuimus. 1. q. 1. in eodem libro hæc est : Hanc distinctionem innuit Nicolaus Papa secundus scribens omnibus Episcopis. In margine est : 4. sent. dist. 25. Pann. l. 3. c. 127.

(11) Capitis primi distinctione 34. in eodem libro inscripção est : Vnde Nicolaus Papa ad Albinum Archiepiscopum. Quorundam relatione &c. In margine est : Al. Alvinum. Ivo p. 5. c. 353. Inscripção capitis 4. Pontifices. 7. q. 1. hæc est ; Item Nicolaus Papa Alvino Ianuensi Archiepiscopo. In margine est : Al. Albino Vienenfi. Ivo p. 5. c. 352.

(12) Distinctione 43. capitis extremi in eodem libro inscripção est hæc : Item Nicolaus ad Michaëlem Imp. in epistola cujus initium est Proposueramus. Dispensatio est nobis &c. In margine hæc sunt : Dispensatione nobis. orig.

(13) Hæc etiam sunt in eodem libro verba ante caput 3. Denique Suffredus. 6. q. 3. Item Nicolaus Papa. Ad illa verba, Quod quia omissum, additur in Notis : Locus hic emendatus est ex plerisque vetustis Gratiani codicibus.

(14) In

(14) In eadem editione inscriptio capituli 47. Sci-
ficitaris. 7. q. 1. hæc est : Item Nicolaus Papa Humi-
fido Morinensis Ecclesie Episcopo.

DE QUIBUSDAM LOCIS GRA-
tiani Romanæ editionis, & de aliis
Nicolai capitibus.

Dialogus decimussextus.

A. VESTRUM nunc est de Romanis
pagellis dicere. B. Quod ex beati Au-
gustini epistula CLIV. Gratianus refert de
jurejurando Laban, mendosum erat : *sicut*
Laban per Deum Sochot. Scribi enim debuit,
per Deum Nachor, ut in sacris libris est, licet
in Augustini editis libris sit *Jacob*. A. Vidistis
quid Ivo & Anselmus & liber Cæsaraugusta-
nus scripserint? B. Ivo a in Pannormi a habet:
Laban per Deos suos Sochot vel Nachor.
Idem in excerptionibus, *per Deum Nachor*,
ut etiam Romani referunt. In Anselmi libro
b omissa sunt hæc verba. In Cæsaraugustano
c est, *per Deum Sabaoth*, quod etiam inve-
nimus in veteri Gratiani libro. in alio tamen
non minùs veteri est *Sochot*. C. Romani re-
ferunt in vetusto Gratiani libro invenisse
Nachor. A. Id igitur retineamus quod in sa-
cris libris est. B. In eodem capite verba Gra-
tiani sunt : *sicut Joseph, qui per Pharaonem*
jurando, hoc in eo veneratus est quod Dei judi-
cio positus erat in infimis. In margine est :
Aliàs Memphis. Et in scholio : *In infimis]*

22. q. 1. c. 16.
Mover. p.
Alia.

Gen. 21. vel
31.

a Ivo lib. 8,
tit. 8. c. 28.
Panor. &
par. 12. c. 35.
dec.

b Anselm. lib. 11.
c. 69.
c Cæs. lib. 6,
c. 19.